totum nec pauperum preces spernerent. Adeo autem sine reposita benedictione re
cederent. Sed nec sine longanimitate persistebant indeficientes iuxta pro
pheticum illud: Si moram fecerit, expecta eum quia veniet et non tardabit. Por
ro unanimitatis quidem legitur evidens expressio, quod hec sola divini spiritus
presentiam mereatur. Neque enim est deus dissensionis sed pacis, neque habitare
facit nisi unius moris in domo. Iure igitur preceptionem cordis eorum audivit au
ris divina nec ab expectatione sua confundit eos qui et magnanimes
et longanimes et unanimes essent. Certissima nempe sunt hec testimo
nia fidei spei et caritatis. Et quidem evidenter spes longanimitatem, unani
mitatem caritas operatur. Numquid fides quoque magnanimum facit et solidum? Quod
quod enim sine fide presumitur non est illa animi solida magnitudo sed ventosa
quedam inflatio et tumor inanis. Vis audire magnanimum virum? Omnia
possum in eo qui me confortat. Invenimus triplicem hanc preceptionem
fieri si desideramus superfluentem mensuram spiritus obtinere. Omnibus enim preter
Christum datur ad mensuram spiritus, sed mensure cumulus superfluens videtur quo
dammodo excessisse mensuram. Evidens fuit in conversione magnanimitas
sit in consummatione longanimitas sit unanimitas in conversatione. Hinc nimirum si
quidem actibus celestis illa inhabitatio desideratur instruamur quibus nec fidei
magnitudo desit in suscipiendo omne Christi nec longitudo spei in persistendo
nec caritatis unctura que est vinculum perfectionis.

Sermo de sancto die penthecostes. Sermo xiiij.

Celebramus hodie dilectissimi spiritus sancti solempnitatem tota
cum iocunditate celebrandam dignam omni devotione. Dulcissimum
enim quoddam et commodum in deo spiritus sanctus est, benignitas dei
et idem ipse deus. Proinde si celebramus sanctorum solempnia, quan
to magis eius a quo habuerunt unde sancti essent quotquot
fuere sancti? Si veneramur sanctos, quanto magis ipsum sanctificatorem conve
nit honorari? Hodie nimirum festivitas est spiritus sancti qua visibiliter apparuit
invisibilis sicut et filius cum sit nichilominus invisibilis in seipso dignatus est ex
hibere se in carne visibilem. Hodie spiritus sanctus revelat nobis aliquid de seipso
sicut ante de patre et filio noveramus. Nam perfecta trinitatis cognitio vita
eterna est. Nunc autem ex parte cognoscimus, reliqua credimus que minime suf
ficimus comprehendere. Et de patre quidem novi creaturis clamantibus cre
atoris ipse fecit nos et non ipsi nos. Invisibilia enim dei a creatura mundi per
ea que facta sunt intellecta conspiciuntur. At vero eternitatem et immutabilitatem com
prehendere multum est a dme lucem habitat inaccessibilem. De filio autem magnum ali
quid novi eius generationem, nam generationem eius quis enarrabit? Quis com
prehendat equalem genitum genitori? Iam et de spiritu sancto si non novi processi
onem qua ex patre filioque procedit, illa enim mirabilis facta est scientia ex me
confortata est et non potero ad eam. Novi tamen aliquid, videlicet inspirationem. Duo enim
sunt unde procedat et quo: processio a patre et filio posuit tenebras
latibulum suum, sed processio ad homines hodie cepit innotescere et est nam fi

delibus manifesta et prius quidem quando sicut oportebat signis visibilibus
invisibilis spiritus suum declarabat adventum. Nunc autem signa que spiritualiora sunt
eo magis congrua eo magis videntur spiritu sancto digna. Venit tunc super discipulos
in linguis igneis ut verba ignea loquerentur et legem igneam lingue ig-
nee predicarent. Nemo conqueratur quod modo nobis illa manifestatio spiritus fuit
unicuique enim datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Denique si dicere oportet
nobis illa manifestatio potius quam apostolis facta est. Ad quid enim illis nunc
lingue gentium nisi ad conversionem gentium. Fuit in eis alia quedam manifesta-
tio magis ad eos pertinens et hec usque hodie fit in nobis. Manifestum enim fuit
induros esse virtute ex alto qui de tanta pusillanimitate spiritus ad tantam
devenere constantiam. Non est iam fugere non est abscondi propter metum iudeorum
constantius nunc predicant quam delituerant ante timidius. Denique mutatio illa
dextre excelsi manifeste declarat principes apostolorum prius quidem iter an-
cille verba formido postmodum nec principum verbera fortitudo. Ibant autem
scriptura gaudentes a conspectu concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine Jhesu
contumeliam pati. Quem sine prius omnes duce suo ad concilium solum reliquerant fu-
gientes. Quis dubitet advenisse spiritum vehementem qui mentes eorum insi-
bili illustraret potentia. In hunc modum etiam in nobis spiritus operatur testimoni-
um perhibent de eo. Quia ergo mandatum accepimus ut declinantes a ma-
lo faciamus quod bonum est, vide quemadmodum in utroque spiritus adiuvat infirmi-
tatem nostram. Divisiones gratiarum sunt idem autem spiritus. Propterea ad declinan-
dum a malo tria operatur in nobis compunctionem supplicationem remissionem. Initium
enim revertendi ad deum est penitentia quam sine dubio spiritus operatur non nos-
ter sed dei idemque et ratio intus docet et confirmat auctoritas. Quis enim num
ad ignem veniret algens et factus calefactus dubitet ab igne ei ve-
nisse calorem quem habere non poterat sine illo. Sic ergo qui prius in in-
quietate frigidus erat si postmodum fervore quodam penitentie accendatur
alium sibi spiritum qui suum arguit et diiudicat non dubitet advenisse. Ha-
bes hoc et in evangelio ubi dominus loquitur de spiritu quem accepturi erant credentes
in eum. Ille inquit arguet mundum de peccato. Sed quid prodest penitere de culpa
et non supplicare pro venia? Unde est ut etiam hoc spiritus operetur dulcedine
quadam spei replens animum per quam fiducialiter postules nichil hesitans.
Vis ne ostendam tibi etiam hoc opus esse spiritus sancti? Unde dum abest ille
tale aliquid in nostro spiritu non invenimus. Denique ipse est in quo clamamus abba
pater. Ipse qui postulat pro sanctis gemitibus inenarrabilibus et hoc quidem
in corde nostro. Quod autem in spiritu? Sicut in nobis interpellat pro nobis ita in pre-
delicta donat cum ipso patre. Advocatus enim ad patrem in cordibus nostris deus in
trinitate preces. Itaque quod postulamus idem ipse donat qui donat ut postulemus
et sicut nos erigit per quandam fiduciam ita deum inclinat ad nos magis
per misericordiam suam. Itaque ut omnino scias quod remissionem peccatorum spiritus operatur audi quod
aliquando audierunt apostoli. Accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittun-
tur eis. Et de malo quidem declinando sic. Porro ad faciendum bonum

Spiritus sanctus operatur tria ad declinandum a malo

quod in nobis spiritus bonus operatur? profecto monet, movet et docet. Mo- *Tria que operatur in nobis spiritus sanctus ad operandum bonum*
net memoriam et docet rationem, movet voluntatem. In hiis enim tribus consis-
tit tota anima nostra. Memorie suggerit bona in cogitationibus sanctis atque ita ig-
naviam nostram torporemque repellit. Propterea quociens huiusmodi suggestionem
boni senseris in corde tuo, da honorem deo et age reverentiam spiritui sancto cuius
vox sonuit in auribus tuis. Ipse namque est qui loquitur iusticiam. Et in ewangelio ha-
bes quia ille suggeret vobis omnia quecumque dixero vobis. Et advertite quod pro-
misit: Ille docebit vos omnia, dixerat enim quia docet rationem. Multi siquidem mo-
ventur ut bonum faciant, sed nesciunt quid agendum sit, nisi assit demum
gratia spiritus et quas inspirat cogitationes doceat in opus proferre ne vacua sit
in nobis gratia dei. Sed quid scienti bonum et non facienti? peccatum est illi. Propterea
non solum monente et docente verum et movente et afficiente ad bonum opus est ab
eo contingi spiritu qui adiuvat infirmitatem nostram et per quem in cordibus nostris
diffunditur caritas que est bona voluntas. Itaque cum sic adveniens spiritus
totum possederit animum suggerendo, instruendo, afficiendo, loquens semper in aure
interiori ut audiamus et nos quid loquatur in nobis dominus deus, rationem il-
luminans, voluntatem inflammans, nonne tibi videtur quia totam domum impleverit
dispertite lingue tamquam ignis? Nam in hiis tribus domum est animi consistere
totum. Sunt autem dispertite lingue propter multiplices cogitationes, sed ea-
rum multiplicatis et uno lumine veritatis et uno caritatis fervore fit
tamquam ignis. Aut certe domum impleto fine ponam reservet quem mensuram
bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabit in sinus vestros.
Sed quando hec erunt? Profecto cum completi fuerint dies penthecostes.
Felices vos qui iam transistis quinquagesimum requiei et iubileum annum fratres
mei, loquor quibus iam dixit spiritus ut requiescant a laboribus suis. Etenim
hoc quoque dici cum opera reperimus. Duo namque tempora celebramus fratres, quadrage-
sime unum, alterum quinquagesime; illud ante passionem, istud post resur-
rectionem; illud in compunctione cordis et lamentis penitentie, istud in devotione spiritus
et alleluia solempni. Prius quidem tempus ipsum est vite presentis, posterius vero quie-
tem sanctorum significat que est post mortem. Cum autem venerit illud quinquagesime
finis in iudicio scilicet et resurrectione, completis diebus penthecostes, adveniet ple-
nitudo spiritus et totam implebit domum. Plena siquidem erit omnis terra maiesta-
te eius quando non solum anima sed et ipsum corpus resurget, si tamen iuxta apostoli
monitum dum adhuc est animale fuerit seminatum.

Item sermo in die penthecostes. Sermo xlv.

Hodie dilectissimi celi distillaverunt a facie dei Synai, a facie dei
Israel, et pluviam voluntariam segregavit deus hereditati sue. Christi spiritus,
cum sit procedens a patre, largitor muneris sue maiestatis in apostolos
supervenit et tribuit eis carismatum dona. Post magnificentiam eius resur-
gentis, post gloriam ascendentis, post residentis sublimitatem, nichil restabat
nisi ut expectatio iustorum leticia adveniret et celi muneribus celestibus ho-
mines impleret. Unde autem si non est sanctarum pondus et in verbo ordine. Hec

oia ysayas longe ante predixit Erit in die illa germen domini in magnifice
ntia et gloria et fructus terre sublimis et exultatio hiis qui salvati fue
rint ex israel. germen domini xps ihus filius de mundissimo conceptus semine
quia et si in splendore eternus patri non tamen in carne patri si filius eternus a deo ho
mo filius peccatorum ab adam quia non fuit natura filius ire sicut reliqui
omnes qui in iniquitatibus sunt concepti. Istud ergo germen quod de virga pos
se ventre virgineo pullulavit in magnificentiam fuit cum resurrexisset
a mortuis quia tunc dominus meus magnificatus est vehementer confessionem
et decorem induens amictus lumine sicut vestimento. Quanta autem as
cendentis gloria cum mediis angelorum et archangelorum [illegible] ad patrem deduce
res et triumphatum palma celis inferius susceptum hominem in ipsa divini
tatis claudis [illegible] quis cogitet nedum loquatur quam sit fruc
tus terre sublimis in consessu ad dexteram patris quod usque celestium oculos re
verberat creaturarum quod angelicus intuitus comprehendere non attingit.
Veniat ergo exultatio domine hiis qui salvati sunt de israel apostolis tuis quos
elegisti ante mundi constitutionem. Veniat spiritus tuus bonus qui sordes ab
luat et infundat virtutes in spiritu ardenti et ardens ‖ Expectatio igitur fra
tres cogitationum super nos et in nos opera trinitatis ab initio mundi usque in fine
ut videamus quam sollicita fuerit illa maiestas cui administratio patet
et gubernatio seculorum [illegible] ne nos perderet merentium et potentia quidem
omnia fecerat et sapientia omnia gubernabat et utriusque rerum tam pote
ntie quam sapientie signa manifestissime tenebant in creatione et conserva
tione machine mundialis et bonitas quidem erat in deo et benignitas multa
nimis sed latebat in corde patris cumulanda quoque super genus filiorum
adam in tempore opportuno. dicebat tunc dominus Ego cogito cogitationes pacis
ut mitteret nobis illum qui est pax nostra qui fecit utraque unum ut utique da
ret pacem super pacem hiis qui longe et pacem hiis qui prope. Verbum
igitur dei in sublimi constitutum ut ad nos descenderet propria benignitas in
vitavit. misericordia traxit. veritas qua se venturum promiserat com
pulit. parentes uteri virginales suscepit salva virginitatis integritate
potentia eduxit. obedientia in omnibus deduxit. patientia armavit. cari
tas verbis et miraculis manifestavit. Prorsus amplissima michi
[illegible] maria et malorum meorum suppetit et bonorum domini mei ut cum co
gitaverim vias meas et converterim pedes meos in testimonia sua. Illa enim
bona ineffabilia sunt et ut breviter verbo arctius concludam nichil melius
invenire potuit unde nos redimeret sapientia dei in omni sapientia sua
Sed et mala que [illegible] nos quorum non erat numerus quia peccavi
[illegible] loquitur super numerum arene maris et [illegible] nomen tuum domine propi
tiaberis peccato meo multum est enim. Missus est coluber tortuosus a dya
bolo ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet et sic
refunderet in totius posteritatis originem. Missus est iterum angelus ga
briel a deo ut verbum patris per aurem virginis in ventrem et mentem ipsius

eructaret ut eadem via intraret antidotum qua venenum intraverat
Vere vidimus gloriam eius quasi unigeniti a patre quia totum paternum est quod de cor-
de patris xpistus attulit nobis ut nichil in filio dei nisi dulce nisi paternum
humanum genus trepidatione suspiret. A planta pedis usque ad verticem non
erat in nobis sanitas. certissime ab utero in utero dampnati antequam nati quia
de patre et in peccato concepti. Xpistus ergo ibi primum medicinam apposuit ubi pri-
mus patebat vulneri locus et substantialiter utero virginis illapsus de
spiritu sancto conceptus est ut conceptionem nostram mundaret quam spiritus malignus et si non fe-
cerat infecerat tamen ut non esset eius in utero vitium ipsius onerosa dignio-
nem membris virginis purgat antiquum fermentum ut denuo ad imum putredi-
nem virulentiam ut fermentum sempiterna succederet. Et hic iam operabatur sa-
lutem nostram in medio terre in utero videlicet virginis marie que mirabili propri-
etate terre medium appellatur. Ad illam sicut ad medium sicut ad archam dei
sicut ad rerum causam sicut ad negotium seculorum respiciunt et qui in celo
habitant et qui habitant in inferno et qui nos precesserunt et nos qui su-
mus et qui sequentur et nati natorum et qui nascentur ab illis. Illi qui sunt
in celo ut resarciantur et qui in inferno ut eripiantur qui precesserunt ut pro-
phete fideles inveniantur qui sequentur ut glorificentur. Eo beatam te dicent
omnes generationes dei genitrix domina mundi regina celi. Omnes inquam ge-
nerationes sunt enim generationes celi et terre. Pater spirituum ait apostolus ex quo
omnis paternitas in celo et in terra nominatur ex quo omnis paternitas in celo et in terra no-
minatur ex quo beatam te dicent omnes generationes que in omnibus genera-
tionibus vitam et gloriam genuisti. In te enim angeli letitiam iusti gratiam
peccatores veniam invenerunt in eternum. Merito in te respiciunt oculi totius crea-
ture quia in te et per te et de te benigna manus omnipotentis quicquid creave-
rat recreavit || Placebit ne tibi domine ihesu ut dones michi vitam tuam
sicut dedisti conceptionem quia non solum conceptio mea immunda sed mors perver-
sa vita periculosa et post mortem restat mors gravior mors secunda.
Non solum autem conceptionem meam sed et vitam meam et hoc per singulos etatum
gradus infantie pueritie adolescentie iuventutis tibi donabo. Adiciens
mortem et resurrectionem ascensionem et missionem sancti spiritus. hoc autem ideo
ut conceptio mea emundet tuam vita mea instituat tuam mors mea des-
truat tuam resurrectio mea precedet tuam ascensio mea preparet tibi
porro spiritus adiuvet infirmitatem tuam. Sic enim plane videbis et viam
per quam ambules et cautelam qua ambules et ad quam ambules mansio-
nem. In vita mea cognosces tuam ut sicut ego paupertatis et obedientie
humilitatis et pacientie constantie et misericordie indeclinabiles semitas te-
nui sic et tu eisdem vestigiis incedas non declinans ad dexteram neque ad
sinistram. In morte autem mea dabo tibi victoriam meam disrumpam vincu-
la captivitatis tue expugnans hostes qui sunt in via vel in extremis vitam ut non
appareat amplius nocere tibi || His autem completis reverti in domum
unde exivi et omnibus illis que in montibus remanserant quas et propter

de maria

te reliquerim ut te non ducerem sed reportarem reddam faciem meam Et ne de absencia mea vel murmures vel contristeris mittam tibi spiritum paraclitum qui tibi donet pignus salutis robur vite sicut lumen pignus salutis ut ipse spiritus reddat testimonium spiritui tuo quod filius dei sis qui certissima signa predestinacionis tue cordi tuo imprimat et ostendat qui donet leticiam in corde tuo et de voce celesti et si non continue tamen sepissime mentem tuam impinguet Robur vite ut quod per naturam tibi est impossibile per graciam eius non solum possibile sed et facile fiat ita ut in laboribus in vigiliis in fame et siti et ceteris observanciis istis que nisi facientibus ista dulcorentur prorsus mors tolerabilis appareat delectabiliter incedas sicut in omnibus diviciis. Sicut lumen ut tu omnia bene feceris te servum inutilem putes et quicquid boni inveneris illi tribuas a quo omne bonum est sine quo non potes aliquid sed non cum eo potes incipere nec perficere dicimus. Sic ergo spiritus iste in tribus istis te docebit omnia sed omnia que ad tuam pertinent salutem quia in ipsis est plena et absoluta perfectio hoc est quod per prophetam idem spiritus dicit Seminate vobis ad iusticiam ubi pignus salutis ostenditur et metite spem vite ubi vitale robur accipitur illuminate vobis lumen sciencie quod verbis propriis subinfertur. Unde et spiritus iste super apostolos in igne apparuit propter lucem pietatis et ardorem quos eciam repleverunt et spiritu fervere et veritatem cognoscere fecit quia sola misericordia est que eos et prevenit et perducit. Multum sibi de hac misericordia undique congratulatur propheta dicens cum diceret misericordia eius preveniet me et misericordia tua ante oculos meos est et misericordia tua subsequitur me omnibus diebus vite mee et qui coronat me in misericordia et miseracionibus et deus meus misericordia mea ||

Quam dulcis domine ihesu cum hominibus conversatus es quam habundanter multa et magna bona hominibus largitus es quam fortiter tam indigna quam aspera pro hominibus passus es ita ut liceat sugere mel de petra oleumque de saxo durissimo duro ad verba duriora ad verbera durissimo ad horrenda crucis supplicia quia in omnibus hiis sicut agnus coram tondente obmutuit et non aperuit os suum. Vides igitur quam verum dixit ille qui dixit dominus sollicitus est mei pater ut servum redimeret filio non pepercit filius libentissime se ipsum tradidit spiritum sanctum utrumque mittit ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. O duri et indurati et obdurati filii adam quos non emollit tanta benignitas tanta flamma tam ingens ardor amoris tam vehemens amator qui pro vilibus sarcinulis suis preciosas merces expendit non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos sed precioso suo sanguine quem effudit habunde quia largiter unde sanguinis de corpore christi per quinque partes emanaverunt. Quid ultra debuit facere et non fecit. Illuminavit cecos reduxit errantes reconciliavit reos iustificavit impios. xxxiii annis super terram visus cum hominibus conversatus pro hominibus mortuus qui de cherubin et seraphin et omnibus angelicis virtutibus dixit et facta sunt cui subest cum voluerit omnia posse. Quid ergo a te querit qui tanta sollicitudine te quesivit nisi sollicite ambulare cum deo tuo. Hanc sollicitu

dinem non facit nisi spiritus sanctus qui scrutatur profunda pectoris in tantum discretor cogitacionum et intencionum cordis qui nec minimam paleam intra cordis quod possidet habitaculum patitur residere sed statim igne subtilissime circumspectionis exurit spiritus dulcis et suavis qui nostram voluntatem flectit immo dirigat et erigit magis ad suam ut eam et veraciter intelligere et ferventer diligere et efficaciter implere possimus.

Item sermo de penthecostes · sermo xlvj ·

Libenter vobis communicarem si quid michi superna dignatione sensero inspiratum noverit spiritus ipse cuius hodie solempnitatem et solempnitatem propriam celebramus utinam devocione propria. Ipse enim est dilectissimi qui nos sedere facit non in civitate sed in domo unum ut sedeat super sedentes ut requiescat super humiles et trementes sermones suos. Ipse est qui virginem obumbravit apostolos roboravit et ut virgineo corpori prepararet divinitatis accessum et apostolos indueret virtute ex alto ferventissima caritate. hanc nimirum apostolicus ille chorus leonum sicut induit ut gigas ad faciendam vindictam in nacionibus increpaciones in populis ad alligandos reges eorum in compedibus et nobiles eorum in manicis ferreis quia eius in domo fortis ligare eum et vasa eius diripere mittebantur opus erat fortitudine ampliori Alioquin quomodo multum erat ad ipsos ut de morte triumpharent ut nec ipsequidem porte inferi prevalerent adversus eos si non vigeret in eis que in eis vincebat dilectio fortis ut mors dura ut infernus emulacio. Hinc sibi zelum imbiberunt cum vino ebrii putarentur et vere ebrii vino sed non eo quo ab incredulis ebrii credebantur. plane musto ebrii sed vino novo quod veteres quidem utres nec mererentur accipere nec continere valerent. hoc enim vinum mittit illa vitis fundebat de excelso vinum letificans cor non subvertens mentis inebrians vinum germinans virgines non apostotare faciens eciam sapientes. novum vinum sed habitantibus super terram nam in celis quidem olim iam copiosissime redundabat non in utribus nec in testeis vasis sed in cella vinaria in spiritualibus apothecis. fluebat per vicos et plateas omnes civitatis illius vinum in quo leticia cordis non eciam luxuria est nam terrigene et filii hominum vinum huius non habebant. Sic ergo celum vino proprio fervebat quod terra circum nesciebat sed nec ipsa quidem terra penitus inops erat ne christi gloriabatur carne propria celum nichilominus sitiebat quod in fidelissimum fieret gratissimumque commercium inter celum et terram inter angelos et apostolos ut exhiberet illis carnem christi isti vinum celi essetque in terra spiritus caro in celis ac deinceps omnia communia meum tuum. Nisi enim ego abiero paraclitus non veniet ad vos hoc est dicere nisi dederitis quod amatis non habebitis quod desideratis. Expedit ergo vobis ut ego vadam nos quoque de terra ad celum de carne ad spiritum transferamur filius enim spiritus pater spiritus spiritus sanctus spiritus est. denique spiritus ante faciem nostram christus dominus. Dedit et pater quia spiritus est tales querit adoratores qui adorent eum in spiritu et veritate spiritus vero sanctus quasi specialiter spiritus dei quia ab utroque procedit firmissimum

et indissolubile vinculum trinitatis tamen proprie spiritus sanctus quod sit donum patris
et filii eternum fructificans caritas. Cuius pater quoque et spiritus et spiritus sanctus sicut
filius et spiritus et spiritus sanctus sit ex quo omnia per quem omnia in quo omnia ut apostolus
Tria in magno huius opere mundi cogitare debemus videlicet quid sit quo
sit et ad quid sit constitutus. Et in esse quidem rerum inestimabilis poten-
tia commendatur quia tam multa tam magna tam multipliciter tam magnifice sunt
creata. Sive in modo ipsa sapientia singularis elucet quia hec quidem sur-
sum hec vero deorsum hec in medio ordinatissime sunt locata. Si vero ad quod
facta sunt mediteris occurrit tam utilis benignitas tam benigna utilitas que
etiam ingratissimos quosque multitudine et magnitudine beneficiorum pos-
sit obruere potentissime siquidem ex nichilo omnia sapientissime pulcra beni-
gnissime utilia sunt creata. Veruntamen et fuisse novimus ab initio et ad-
huc multos esse videmus in filiis hominum qui in bonis inferioribus sensibilis mun-
di huius tota sensualitate depressi totos se dederunt hiis que facta sunt quo-
modo vel ad quid facta negligentes quos istos inspirituales dicimus. Pau-
cissimos esse iam arbitror legimus tamen non nullos quamquam fuisse quibus summum stu-
dium fuit atque unica sollicitudo modum et ordinem investigare factorum adeo ut
plerique non modo utilitatem rerum penitus dissimulaverint sed et ipsas magna-
nimiter spreverint cibo parcissimo vilissimoque contenti. Ipsi quidem se se philosophos
vocant sed a nobis curiosi et vani recte appellantur. Utrisque igitur sunt
preferendi viri prudentiores utrisque qui minimum et que facta sunt et quo
facta sunt insilientes intenderunt amplius mentes ut ad quid facta sint viderent
nec latuit eos quoniam omnia propter semetipsum fecit deus omnia propter suos aliter tamen propter
se aliter propter suos. In eo quippe quod dicitur omnia propter se precipuus commendatur origo
in eo quod dicitur omnia propter suos magis exprimitur fructus sequens omnia fecit propter
semetipsum gratuita videlicet bonitate omnia propter electos suos pro eorum scilicet uti-
litate ut illa quidem efficiens causa sit hec finalis. Hii sunt spirituales vi-
ri sic utentes hoc mundo tamquam non utentes sed in simplicitate cordis sui
querentes deum nec illud quidem magnopere investigantes quonam modo mun-
dialis hec machina volveretur propria voluptate sed divinitate terram veri-
tate impleri. Gaudeo vos esse de hac scola de scola videlicet spiritus ubi boni-
tatem et disciplinam et scientiam discitis et dicitis cum sancto. Super docentes me
intellexi. Audire inquam. Numquid quia bisso et purpura me indui quia lau-
tioribus epulis habundavi. numquid quia platonis argutias aristotilis ver-
sutias intellexi aut intelligere laboravi. Absit inquam Sed quia testimonia
tua exquisivi felix qui in hoc sancti spiritus thalamo gignetur ut possit intel-
ligere triplicem illum spiritum de quo videlicet ipse puer dominus super seniores intelligens
decantabat ne proicias me a facie tua et spiritum sanctum tuum ne auferas a me
cor mundum crea in me et redde michi letitiam et spiritum sanctum ipsum intelligere proprio
nomine designatum Rogat ergo ne proiciatur a facie eius tamquam aliquid immun-
dum quia spiritus iste odit sordes nec habitare potest in corde subdito peccatis cui e-
nim proprium est peccatum repellere ipsi est et proprium peccatum odire nec in uno domo

alio pariter incolabitur. tamen mundicia et inmundicia tacta Recepto igitur spiritu sancto per sanctimoniam sine qua nemo videbit deum audet quis apparere ante faciem eius tamquam lotus et mundus utpote qui continet se ab omni malo et qui actionis et si non cogitationis frequenter Sed quia perverse et inmunde cogitationes separant a deo oculum ut cor mundum crearetur in nobis quod utique fiet si spiritus rectus in nobis fuerit visceribus innovatus. Spiritum rectum quem a filio petere non inconveniens aptari qui ut nos veterem hominem exuentes novum induat qui nos renovavit in spiritu mentis nostre tamquam in visceribus nostris ut cogitemus que recta sunt ut ambulemus in novitate spiritus et non in littere vetustate. Firmitatem enim rectitudinis attulit de celis reliquit in terris immittens sane et immittens dulcedine rectitudinis in omnibus operibus suis sicut de eo idem ipse predixerat dulcis et rectus dominus propter hoc legem dabit delinquentibus in via Castigato ergo corpore per servitudinem operum mundato corde vel pectoris innovato per rectitudinem cogitationum reddit letitiam salutaris ut iam in lumine vultus dei ambules et in nomine dei exultes tota die Quid ergo restat nisi ut spiritu principali confirmeris. Patrem intellige spiritum principalem non quia maior sed quia solus sit a nullo cum ab eo sit filius spiritus sanctus ab utroque In quo autem confirmatio hec nisi in caritate. Aut quid dominum aliud tam dignum patre quod nunquam aliud tam paternum. Quis vos ait apostolus separabit a caritate Christi tribulatio an angustia an fames an nuditas an periculum an gladius. Certus sum quia neque mors neque vita neque creatura aliqua que apostolus tam multipliciter quam audacter enumerat poterit vos separare a caritate dei que est in Christo Iesu. Numquid non hoc confirmavit ab omni huius sententie parte demonstratur. Scis vas tuum possidere in sanctificatione et honore et non in passione desiderii Spiritum sanctum accepisti tibi vis ut quecumque tibi fieri vis ab hominibus tu quoque facies illis et quod tibi fieri non vis alii non facieris. Spiritum rectum ad opus proximi suscepisti hec est enim rectitudo quam lex et quam commendat et que nec inde et que tradidit in scriptura Iam si in utroque bono et in his que ad utrumque pertinent firmiter perseveras principalem spiritum que solum deus approbat accepisti alioquin que non sunt mea non sunt eius qui verax est non accepit nec in avidus istis sibi per eternus complacet Si igitur si desideras ut in te deus eligat partem sibi esto sollicitus sicut tibi spiritum sanctum sicut proximo spiritum rectum sic quoque tamquam vero principi et patri spiritualem spiritum principalem exhibere || Vere multiplex spiritus qui tam multipliciter filiis hominum inspiravit ut non sit qui se abscondat a calore eius siquidem gradiatur eis ad usum ad adminiculum ad salutem ad auxilium ad solacium ad fervorem Ad usum siquidem vite bonis et malis dignis et indignis communia bona tribuens habundantissime ita ut videantur hi discretionis limitem non tenere Ingratus est qui in his quoque beneficium spiritus non agnoscit Ad adminiculum in signis et prodigiis in variis virtutibus quas per quoslibet manus operatur Ipse est antiqua miracula suscitavit ut ex presentibus fidem astruat preteritorum Sed quia nonnullis hanc quoque gratiam sine propria utilitate

largitur tertio infunditur ad salutem cum in toto corde nostro revertimur ad dominum deum
nostrum. Quarto ad auxilium datur cum in omni colluctatione adiuvat infirmitatem nostram
nam cum testimonium perhibet spiritui nostro quod filii dei sumus. Quinto inspiratus est ad consola-
tionem datur etiam ad fervorem cum in cordibus perfectorum spirans vehementer validum
ignem caritatis accendit ut non solum in spe filiorum dei sed etiam in tribulationi-
bus glorientur. contumeliam gloriam reputantes opprobrium gaudium despectum
exaltationem. Omnibus vobis nisi fallor datus est spiritus ad salutem ad fervorem
non ita. pauci enim sunt qui hoc spiritu replentur pauci qui studeant emulari
contenti sumus angustiis nostris nec respirare in libertatem illam non saltem
ad eam spirare conamur. Oremus fratres etiam ut compleantur in nobis dies
penthecostes dies remissionis dies exultationis dies verissimi iubilei ut in-
veniat nos semper spiritus suus omnes pariter per presentiam corporalem pariter per concordiam u-
nanimitatem pariter in eodem loco per promissam stabilitatem ad laudem et gloriam
sponsi ecclesie Jhesu Christi domini nostri qui est super omnia deus benedictus in secula amen.

In nativitate sancti Johannis baptiste De lucerna ardente et
lucente. Sermo xlvi.

Sit procul ab his conventibus fratres increpatio illa prophete in-
dignantis reprobantis quecunque et dicentis Iniqui sunt cetus vestri
hic enim cetus non iniqui sed plane sancti sed religiosi sed plenissima gra-
tia digni benedictione. Convenitis siquidem ad audiendum verbum convenitis ad lau-
dandum ad orandum ad adorandum. Sacer est questus uterque placens deo angelis
familiaris. State ergo in reverentia fratres state in sollicitudine et devotione
mentis maximeque in loco orationis et in hac schola Christi et auditorio spirituali.
Nolite considerare dilectissimi que videntur et temporalia sunt sed magis que non
videntur eterna secundum fidem non secundum faciem iudicantes. Terribilis siquidem
et metuendus est locus iste utique et minor adesse credendus est numerus
hominum quam angelorum. patet utrobique porta celi scala illa erecta est ascen-
dunt et descendunt angeli super filium hominis. Quamquam ipse est iste filius hominis
celum ei sedes est terra scabellum pedum eius elevata est magnificentia eius super
celos manet tamen nobiscum usque ad seculi consummationem. Ascendunt itaque et descen-
dunt ad eum angeli sancti quia caput et corpus unus est Christus nec tantum ubi caput
sed ubicumque fuerit corpus ibi congregabuntur et aquile licet non possit ca-
put a corpore separari. Denique et ipse ait Ubi duo vel tres congregati sunt
in nomine meo ibi sum in medio eorum. Sed forte quis dicit Ubi est modo Christus. Os-
tende nobis Christum et sufficit nobis. Quid curiosos circumducitis oculos ad
videndum et non magis ad audiendum convenitis. Dominus deus aperuit michi
aures ait propheta. Aurem aperuit ut audiam quod legitur non oculum ut
videam vultum eius illuminavit. Aut certe suam aperuit michi aurem non
faciem revelavit post parietem stat audit et auditur sed necdum apparet
audit orantes erudit audientes. An experimentum queritis eius qui in me loqui-
tur Christus. Ego inquit qui loquor iustitiam. Quid in loquitur ore quod ipse
plasmavit. quod in suo utitur ut libet artifex instrumento. non miniatum au-